tia.ſed eã nõ dubito eſſe talem.qualis eſt ubi intelligo.
Sic quippe illi locuti ſunt vt poſteriores qui eos recte
intelligerent & exponerent. alteram gratiam diſparẽ
quidem. uerum tamen ſubſequentem in dei eccleſia
reperirent..Non ergo expoſitores eorum ita loqui de
bent.tanquam ſeipſos exponendos ſimili authoritate
proponant.ſed in omnibus ſermonibus ſuis primitus
ac maxime ut intelligant̃.elaborent ea quantũ poſſunt
perſpicuitate dicendi.vt aut multum tardus ſit qui nõ
intelligit.aut in rerum (quas explicare atq; oſtendere
volumus) difficultate ac ſubtilitate non in noſtra locu=
tione ſit cauſa.quo minus tardiuſue q̃ dicimus poſſint
intelligi.Sunt enim quędam quę aut non intelligũtur
aut vix intelliguntur.quamuis planiſſime dicentis ver
ſentur eloquio . quę in populi audientiam vel raro ſi
aliquid urget.uel nunquã omnino mittenda ſunt.

QVOD FACILI LOCVTIONE VTI IN VVLGVS DEBEAT. Ca. XXX.

q Vamuis in bonis doctoribus tanta docendi cu
ra ſit. uel eſſe debeat. ut verbum quod nimis
obſcurum ſit vel ambiguum.latinum eſſe non
poſſit.vulgi autem more ſic dicatur.vt ambiguitas ob
ſcuritaſq; vitetur.non ſic dicatur ut a doctis.ſed potius
vt ab indoctis dici ſolet.Quid enim prodeſt locutionis
integritas. quam non ſequitur intellectus audientis.
cum intelligunt propter quos ut intelligãt loquimur?
Qui ergo docet.uitabit uerba omnia quę non docent.
& ſi pro eis aliqua quę intelligantur integra poteſt di=
cere.id magis eliget.ſi autem non poteſt.ſiue quia nõ
ſunt.ſiue quia in pręſentia non occurrunt. vtetur etiã
verbis minus integris.dum tamen res ipſa doceat̃ atq;
diſcatur integre.& hoc quidem non ſolum in collocu=

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tionibus ſiue fiant cum alquo vno.ſiue cum pluribus. verum etiam multo magis in populis quando ſermo promittitur.vt intelligamur inſtandum eſt.Qui in collocutionibus eſt.cuiqꝫ interrogandũ poteſtas. ubi aũt omnes tacent ut audiatur vnus. & in eum inteta ora conuertũt.ibi ut reqrat vnuſquiſqꝫ quę nõ ĩtellexerit. nec moris eſt nec decoris.ac per hoc debet maxime tacenti ſubuenire cura dicentis. Solet autem motu ſuo ſignificare vtrum intellexerit cognoſcendi auida multitudo.quę donec ſignificet uerſandum eſt quod agit̃ multimoda uarietate dicendi. quę in poteſtate nõ habent qui pręparata & ad uerbum memoriter retenta pronunciãt.Mox autem ut intellectum eſſe cõſiſterit. aut ſermo ſumendus eſt.aut in alia tranſeũdum. Sicut enim gratus eſt qui agnoſcenda enubilat.ſic oneroſus qui cognita inculcat.

DE OPTIMO MODO DICENDI.ET QVID OPORTEAT PRAEDICATOREM IN DICENDO OBSERVARE. Ca. XXXI.

e

St autem optimus modus dicẽdi. qui fit ut qui audit uerum audiat. & quę audit intelligat.bonorumqꝫ ingeniorum inſignis eſt indoles. in verbis verum amare.non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea. ſi aperire quę uolumus non poteſt. aut quid obeſt lignea.ſi hoc poteſt.quãdo nihil quęrimus niſi vt pateat quod clauſum eſt: Dixit ergo quidã eloquens.& verum dixit.ita debere eloquẽtem loqui vt doceat.vt delectet.vt flectet. Deinde addidit. Docere neceſſitatis eſt.delectare ſuauitatis. & flectere victorię.Horum trium quod primo loco poſitum eſt.hoc eſt dicẽdi neceſſitas.in rebus eſt cõſtituta q̃s dicimus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf